



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Sylvester Conf. 9. Iunij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Bellaria tamen, quæ acerrimè verberatis allata
 celo sunt, libarunt, ne viribus succumbentibus,
 levioribus, quam vellent, suppliciis defungeren-
 tur. FELICIANVS octogenario major cæstus, & sus-
 fixas unguibus subulas vultu immoto tulit: men-
 tiente nihilominus, ut PRIMO fucus fieret, Præside,
 Felicianum tormentis cessisse: stultâ impudentiâ:
 cum Angeli nihil eorum, quæ acta fuerant, Pri-
 mum ignorare paterentur. Ergo is quoque faces
 ardentes suo sanguine extinxit: liquatum plum-
 bum (tanta erat patiendi fitis) velut fontanam bi-
 bit. Leones & ursi cum illis compositi nec animo-
 rum, nec corporum vim imminuerunt. Etiam se-
 curi casos muscæ canesque non ausi sunt contin-
 gere; tanta est virtutis etiam apud animantes æsti-
 matio. Utinam homines, qui soli tanti capaces
 boni sunt, & præmia noverunt, suis hæc animi
 decora momentis expenderent! Sed eheu! quàm
 vili venditur innocentia? *Ex Surio.*

*In hæc vitâ virtus non est, nisi diligere quod
 diligendum est: id eligere prudentia est: nullis
 inde averti molestiis, fortitudo est: nullis illece-
 bris, temperantia est; nullâ superbiâ, iustitia est.*
S. Aug. Epist. ad Maced.

S. SYLVESTER CONF. 9. Iunij.

Ventura (namque hoc primum SYLVESTRO
 nomen erat) quo tempore Florentia à B. Ior-
 danis ore rota pendebat, fulloniam illic exercuit,
 ipse etiam candidissimæ mentis. Quare facilè lo-
 cum in hoc Iordanis verba invenerunt. Sed re-
 stitius illi eodem tempore visus in cruce Christus
 concionatus est, plagis suis semper ad misericor-
 diam concirandam facundis. Certè semel illi visus
 cælestis Agnus nunquam postea mente excidit,
 sed

sed velut semper eadem spectacula expeteret, illa crebro inter lacrymas, & singultra verba jaculari ad cælos aucitus est. *Ad te levavi oculos meos, quæ habitas in calis.* Ad quæ verba mirabatur ille, non ad instar ceræ liquefcere hominum corda. Hæc itaque eremiticam vitam persuasere viro, mutato Venturæ in Vincentij tunc nomine, Insidiantem castitati suæ amorem cum sentiret, urticis tergum suum armavit; ecce fugit ille, & dum flagra timuit, puerum scilicet se probavit esse. Sub hæc, ut tutior inter plures Deo militaret, Camaldulensium cœtui se junxit, & SYLVESTER deinceps dictus, culinam primò, tum triclinium curavit, utrumque magno modestiæ, & obedientiæ exemplo. Orationis intereà perquam studiosus, eam imbibit sapientiam, ut jam Fulloné nostrum velut Apollinem doctissimi quique fidei Doctores adirent. Sub extremum morbum iterum Christum aspectabilem habuit. Et cur non oculos SYLVESTRO ille clauderet, ad quem semper illi levavit oculos? *Ex Chyon. Camaldul.*

Tibi quondam abjecto, tibi extruso à Paradiso sedibus, tibi in pulverem & cinerem dissoluto potestas data est, ut de longinquo ad tuum revertaris auctorem, libertus efficiaris ex seruo, de extraneo provoharis in filium. S. Leo serm. 2. de Nat.

S. MARGARITA REGINA. 10. Iunij.

Cape has è MARGARITÆ Scotorum Reginæ muliebri mundo gemmas, nulli sexui, nulli ætati indecores. Malcolmino Regi nupta, omniumque titulorum particeps, nullum cupidius, quam matris pauperum affectavit, meruitque non in suo tantum regno, quod liberalitatem ejus non cepit;